

B. N. II, 86.

h. 17, 7.

(A 1878227)

II K
2134

DISPUTATIO
JURIS PUBLICI
DE
COMITIIS ELECTO-
RALIBUS,

quæ dicuntur

Schurfürsten-Tage / Hof-
legial-Tage /

QVAM

Adspirante Divini Numinis Aura
Consensu Amplissime Facultatis Juridicæ
In Per-Illustri Hofatorum Academia
PRÆSIDE

Nobilissimo, Amplissimo, atque Consultissimo

DN. SAMUELE RACHELIO,

J. U. D. Juris Naturæ & Gentium Pro-
fessore Publico celeberrimo, Dn. & Patrono suo

per ætatem Colendo,

Publico Eruditorum Examine submittit

TOBIAS FRIDERICUS LINCK,
NORIMBERG.

Ad diem Januarii, horis matutinis

In Auditorio Majori.

KILONI,

Typis JOACHIMI REUMANI, Acad. Typogr. An. Chr. 1697.

27.

Ø 250



XXIV

1. 1. 1888
1. 1. 1888

BIBLIOTHECA
PUNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)

57





Q. D. B. P.

Memorat Plutarchus, non solum Alexan-
dri aulicos inflexionem colli, sui que Regis in dica-
do vocis asperitatem; sed & curvitatem Platonis,
& balbutiem Aristotelis horum sectatores studiosè
imitatos fuisse. Simile quid fecisse legimus, què
Basilii Magni gloriam in rebus ingloriis consecatà
dicuntur, pallore, barbâ, certo incedendi gestu, vestimenti genere,
lectuli specie, cibi sumendi modo, & similibus aliis. Quod studium
cecu nimis servile & adfectatum uti merito improbatur; sic minimè
ineptum fore existimo, si præclara præceptorum studia, eorumque
exempla non sine applausu excepta, modestè imitatus fuero, pri-
masque licet secutus in secundis tertiisque constitero. Cum enim Vir
Amplissimus Dn. D. Mauritius, Patronus ut in per antiquâ Eberhar-
dinâ, sic illustri hac Christian-Albertinâ, mens, nullo non observan-
tiæ cultu suspiciendus, Mense Majo Anni clæ Iæc. LXVII. Disserta-
tionem quandam Juris publici de Origine Electorum, & Comitûs E-
lectoralibus eruditissimè, & cui salva veritate in contrarium vix quid-
piam opponi possit, conscripserit, de que conventu Electorum duplici,
cujus A. B. tit. 2. & 12. mentionem facit, agere decrevisset; variis ta-
men negotiis obrutus, & ne Dissertatio ista nimium excresceret, de illo
tantum conventu, quem Germani *Wahl-Tag* nuncupare consueve-
runt, suam sententiam tunc publicavit. Ne verò altera Dissertatio de
Conventibus Electorum, quos linguâ vernaculâ *Churfürsten-Tage*
Collegial Tage vocamus, à magni Nominis Viris non rarò desidera-
ta, à per paucis verò hâc ætate tractata, (nullo quod sciam, Disputatio-
nis loco conscripta & ventilata,) diutius hæreat, supra laudati Dn. D.
Mauritii persuasû, arduam hanc materiam, quæ deterrere me potius
debuisse, pro ingenii tenuitate, judicii que in tantis rebus imbecilli-
tate, elaborare cœpi, Consultissimi Dn. Præsidis, Patroni itidem plu-
rimum colendi, devenerandi, ope & consilio usus, quò illam ad me-
ram perducerem, haberemque, qui oneri fortè impari aut lapsan-
tem erigeret, gressusque inter salebras domosque firmaret. Quod uti
ille libens fecit, ita omnes boni æqueque judicii Lectores obtestor, ut,



si quid displicuerit, me minimè morosum aut pertinaciter errantem moneant potiùs, quàm inaudita causa condemnent, censuraeque benignitate excitent studia nostra, non rigido obelisco confodiant.

THES. I.

Quibus in regnis Comitìa obtinent, magno illa argumento sunt, cum imperio Regis conjunctam esse Populi libertatem, neque omnia Regia manu, sed etiam Populi aut Procerum autoritate saltem nonnulla constitui. Eodem fine & effectui in Imperio Romano-Germanico Comitìa subinde instituuntur, eaq; non semper omnium Imperii Ordinum, sed quandoq; eorum consilio, qui res quasdam Imperii ad suam curam præcipuè pertinere existimant. Hujus generis sunt Comitìa Electoralia, *die Collegialoder Churfürsten-Tage*, quæ etiam Diætarum voce insigniri solent. Unde hujus dicterii nata occasio Aenea Sylvio, *Germanorum Diætas esse fecundas, & quamlibet in ventre habere alteram: ac credibile esse, quia fæmineum sit nomen, liberis imprægnari Diætas, ac parturire.* Cæterum, cum Electorum Comitìa modò instituuntur Cæsaris monitu, modò proprio illorum motu & consilio, ut tamen Bohemiæ Regem excipias; ideò Comitìa Electoralia duplicis esse generis, neque una definitione utrumque genus comprehendere posse putamus. Illa haud incommodè describi posse videntur: Quod sint Conventus Imperatoris & 7. Electorum, Cæsaris autoritate per Moguntinum Electorem indicti, ubi de salute Imperii & ad hanc pertinentibus negotiis agitur. Hæc: quod æque sint Conventus eorundem Electorum, ad quos toties ab Electore Moguntino vocantur, quoties necessitas totius Imperii, vel etiam Collegii Electoralis iudicium vel authoritas postulaverit. Quas descriptiones, si numerum modò septenarium exceperis, non tam ex primâ Caroli V. (priores enim, quæ circumferuntur Capitulationes, nequaquam veras, sed supposititias esse, pterisque Juris publici Scriptoribus persuasum esse, Consultissimus Dn. Mauritius in Colleg. ad Dan. Ottonem Tubingæ habito, in notis MSptis ex ore ipsius exceptis observat,) quàm omnium etiam insequentium temporum Capitulationibus Cæsareis ipsoque usu defendi posse existimamus.

TH. II.

Quam verò originem habeant Comitìa Electoralia, haut ita facile definiveris. Goldastus illam ad Interregnum, quod Richardi Cornubiæ Comitis & Alphonsi Regis Hispaniæ ævo per XVII. ferè annos, (variant enim non nihil, uti fit, in annorum numero Authores,) duravit, refert. Quæ sententia, licet magnam verisimilitudinem habeat,

cum

cum tamen non fide locupletis alicujus Authoris, sed mera conjectura niti videatur, tutò illi suffragari non licebit. Vid. Galdaft. *lib. 3. c. 6. n. 9. in Bohem.* Arumæus *de Comit. c. 2. n. 29.* hujus rei institutum acceptum fert Carolo IV. Imperatori, cujus permisso primitus Electoribus tales Conventus inire licuerit: inque eam rem citat A. B. cap. 12. Tantum verò abest, ut is textus Arumæi sententiam confirmet, ut potius destruat. Etsi enim Carolus IV. novam quendam his Electorum conventibus formulam dicto *cap. 12. A. B.* præscribat, & quod illi quotannis deinceps institui debeant; Ante tamen Caroli IV. five ætatem, five Imperium jam tum Electores salutis publicæ & Imperii causâ convenire, & publicis de rebus consultare solitos fuisse, disertis ibidem verbis significatur. Dum enim Imperator ibi ordinat, *ut Electores frequentius solito congregentur*, jam olim congregatos de Imperii rebus deliberasse illos satis manifestum est. Perindè uti nec illà in re omninò audiendus est Arumæus, quando *Discurs. 5. ad A. B. f. 20.* ait, Carolum IV. hac sanctione Electoribus permisisse, ut ipsis, *se inscio convenire licere.* Quem sequitur *Carpzovius de L. Regia Germ. cap. 5. sect. 7. n. 11.* Præterquam enim, quod ibi expressè statuat Imperator annuos illos conventus deinceps debere celebrari, *per Nos & eosdem Principes.* Etiam discrimen fuerit habendum, quod Limnæus inculcat ad *A. B. cap. 12. obs. 13.* puta, ut distingvas, sine Conventus Electoralis indictus ab Imperatore, vel ad hujus instantiam à Moguntino: An verò motu proprio Moguntini, aliusve Electoris. Isti inscio Imperatore non celebrantur, sed vel ipse Imperator, si velit, vel Legatus ejus iis interesse solet. Atque sic Arumæus verba illa *inscio Imperatore* videntur interpretari *de Comit. loc. cit. n. 28.* quæ in re non solum nos, sed & Cl. Bœclerum *Disput. Peculiari de Congressib. & Colloq. Princ. Th. 45.* consentientes habet, præprimis si mores nostrorum temporum, & qui Aureæ Bullæ sanctionem exceperunt, videas.

TH. III.

Nam si verum amaverimus, Aureæque Bullæ verbis inscriberimus, omnino dicendum videtur, Conventus Electorales præterito aut inscio Imperatore institui aut peragi non licuisse. At si usum temporumque Auream Bullam subsecuta sunt, videas paulatim hoc ipsum, ut multa alia in desuetudinem abierunt. Unde Limnæus *ad art. 5. Capit. Caroli V. verba nach vermög der Guldnen Bullen* ait, se mirari, quod Aurea Bulla in Capitulationibus pro regula ponatur, cum, quantum Conventus Electorales attinet, nihil minus hodie sit, quam regula, usu scilicet et maximè immutata. Atque hanc mutationem ratione Conven-

tum Electoralium in undecim capitibus accidisse, mox ibidem com-
 memorat. Neque est quod quis existimet, hanc consuetudinem ceu
 iniquam ac Legi publicæ adversam abolendam, & ad pristinam nor-
 mam esse revocandam. Si enim tanta consuetudinis vis est in causis
 privatis, ut pro Lege non solum sit saltem aliquando habenda, sed &
 leges interpretari optime, & quandoque illas abrogare possit, *per l. 32.
 & seqq. ff. de LL.* Multò minus in publicis Imperii rebus illam sollici-
 tare aut convellere licebit. Addantur quæ tractat Grotius *lib. 2. de Jur.
 Bell. & Pac. cap. 4. n. 5. & 11.* Atque hanc ipsam ob causam ipsa Aurea
 Bulla toties ad consuetudinem provocat, ejusque autoritatem quasi
 sacrosanctam esse jubet, *Tit. 1. princip. Tit. 2. §. & quia. Tit. 5. §. Et
 quamvis Tit. 28. §. Invenimus. Cui accedunt Instrumenti Pacis art. 8.
 §. Tam universalibus.* Et Recessus Imperii novissimus de Anno 1654. §.
*Benebens sollen Cammer-Richter / aliaque Imperii Leges passim
 consuetudinis Jus commendantes. Accedunt Uniones Electorales
 Erfurti An. Ch. 1446. (quàm tamen Arumæus ad A. B. Discurs. 5. th.
 22. parùm accuratè ad An. Ch. 1438. refert, cum contrarium ex sub-
 scriptione, quæ ita se habet: Zu Franckfurth in dem Jahre / als man
 schrieb nach Christi Geburt Tausend vier hundert sechs und vier-
 zig / 2c. satis perspicuè colligatur,) Geilnhusi An. Ch. 1502. & Wor-
 maciæ An. Ch. 1521. initæ, (de quibus Goldastus inter Constit. Imp. tit.
 der 6. Churfürsten Brüdertliche Einung von des Römischen Reichs
 wegen / pag. 16. & seqq. & in Politischen Reichs-Händeln / part. 8.
 tit. 3. pag. 217. videri potest) ubi nulla Imperatoris mentio fit. Con-
 suetudinem igitur per Uniones has confirmatam, ac vicissim Uniones
 istas per Matthiæ Imperatoris Capitulationem stabilitas, ex artic. 4.
 apparet, qui ita se habet: Gestalt wir dann auch der Churfürsten
 Gemeine / und sonderbare Rheinische Verein / als welche ohne das
 mit Genehmhaltung und Approbation der vorigen Käyser rühm-
 lich auffgerichtet / so wol diesen / als alle darinnen begriffene Pun-
 cten / auch unsers theils approbiren und confirmiren thun. Quæ ver-
 ba, ut primum Matthiæ, sic recentiorum Imperatorum omnium Ca-
 pitulationibus inserta leguntur.*

TH. IV.

Utut autem benè multi hujuscemodi Conventus Collegiales, (quo-
 rum plurimos Limnæus *ad A. B. tit. 12. §. 1. obs. 2. & annot. ad citat.
 art. 5. Capitul. Caroli V. n. 6.* recenset,) ab ipsis Electoribus, absente Im-
 peratore, ejusque Legatis habiti ac celebrati fuerint, nihilominus
 tamen permultos æque peractos fuisse, quibus Legati Imperatorii
 inter-

interfuerint, vix quispiam negabit, de quibus inferius suo loco agemus.

TH. V.

Interea verò Electorale Collegium Conventum talem proprio motu celebrans, Casareum Legatum fortè adventantem, & conventui huic interesse cupientem, dubio procul esse admissurum, cum Dn. Bœclero *citata Diss. de Congressib. & Colloq. Princip. th. 45.* affirmandum putamus. Ut tamen inficias haut iverimus (posse quandoque ea incidere tempora, & talia negotia tractari, à quibus non inique excludi queat sive Imperator, sive ejus Legatus; modò gravi justâque causâ adducatur tantæ dignitatis Collegium, de quò etiam sequius quid præsumere, nefas fuerit. Atque hinc Cl. Bœclerus loco dicto videtur illam Electorum propensam voluntatem restringere ad Pacata Reipublicæ tempora. *Reipublicâ inquit, pacata, non ita sejungitur pars corporis Imperatorii, ab Imperatore, ut clam, aut inscio hoc, illa agere velit. Sed nec detrectant Electores, mittere Casareum Legatum, si velit talibus congressibus interesse.*

TH. VI.

Et hæc de Imperatore dixisse sufficiant. Quare ad Moguntinum Electorem Augusti hujus Collegii Decanum ut veniamus, instituti nostri ratio postulare videtur. Ut ut autem huic electori lege hac Carolinâ electionis Conventus instituere, & Co-Electores suos convocare, *tit. 1. §. Præterea statuimus & tit. 4. §. Cæterum quoties &c.* incumbat & permittatur, frustra dissentiente *Cuspiniano in vitâ Caroli IV.* ubi jus illud ab antiquo Moguntinæ Archi-Episcopo negat, & Palatino Rheni tribuit; Cum tamen nullum idoneum argumentum vel testimonium adducat, unde jus illud Palatino competierit, vix tuto etiam hac in re fides illi tribui poterit. Quia verò ex *A. B. proæmio, ibi: Assidentibus Nobis omnibus Principibus Electoribus &c.* constat, ipsum Palatinum Aureæ Bullæ constitutioni interfuisse, qui, si jus illud sibi competiisset, in Moguntinum sanè transferri haut permisisset, multò minus hæc verba: *Moguntinus Archi-Episcopus potestatem habebit, sicut potestatem habuisse dignoscitur ab antiquo, artic. 4. §. Cæterum quoties &c.* inseri tolerasset. Interim negari haud potest, Rupertum Palatinum semel atque iterum Principes Electores ad Comitria convocasse, primum quidem cum de exactione Wenceslai consilium agigaretur. Deinde cum Rupertus ille in Comitibus Francofurtensibus electus, & Fridericus Dux Brunsvicensis dominum repetiturus, insidiis, ut ferunt, Moguntini per Waldecentem, Comitem propè Frislarium interfectus esset. Quemadmodum igitur ille casu Rupertus Palatinus planè extra ordinem Electores concivit, ita iste suo officio singulari functus esse videtur, quod descriptum legitur

Aureæ

Aureæ Bullæ tit. 5. §. ult. unde apparet, Cuspinianum in vitâ Ruperti geminæ hujus convocationis causam planè falsam recensere, ac si Aureæ Bulla tunc temporis nondum confirmata fuerit: eam enim An. Ch. cl. cccLVI. conditam & promulgatam fuisse, & ex templo etiam obligare coepisse in confesso est. Adeat, qui volet, Arumæum ad A. B. Discurs. 1. th. 23. & Limnæum ad A. B. tit. 1. §. 18. obs. 2. Idem jus etiam ex fraternâ Unione inter Electores An. Ch. 1521. Wormatiæ renovatâ Moguntino adseritur, §. 7. Wäre es auch & §. 9. Wäre es aber 2c. ut tamen casibus quibusdam extraordinariis idem in reliquorum Electorum arbitrium collatum fuerit. §. 4. Wo aber & §. 16. und auff daß 2c.

TH. VII.

Quod si verò convocationis tempore Elector Moguntinus in vivis esse desierit, an Capitulo Moguntinensi hæc potestas convocandi Electores concedenda sit quæritur? Etenim, quamvis affirmativa sententia rationibus hæc contemnendis defendi ac adstrui posse videatur, cum Capitulum, sede vacante, id ipsum exercere posse videatur, quod Episcopus; omnisq; potestas penes Capitulum resideat, quod permultis locis ex Jure Canonico adductis Juris publici Scriptores probare contendunt: Quare tali vocationis tempore etiam ad Comitiam citatur, ut subscriptio Recessus Imperii de An. 1555. ibi Dechant und Capitul zu Minden/ Rec. Imp. de An. 1559. ibi Probst/ Dechant Capitul des Stiffts zu Freysingē/ sede vacante, & Rec. Imp. de An. 1576. ibi des Stiffts Halberstadt/ sede vacante, Rec. Imper. de An. 1654. Dechant und Capitul des Stiffts Wormbs testatur. vid. Arum. de Comit. cap. 4. n. 107. Limn. ad A. B. tit. 1. §. 18. Obs. 10. Negativam tamen sententiam præferendam, & Capitulo ad nullos conventus Electorales convocationem permissam esse statuimus. Quod de electionis conventibus expeditum est, A. B. tit. 4. §. Caterum quoties & c. tit. 1. §. Præterea statuimus & c. Quod autem textus citati de solo Archi-Episcopo, qui fuerit pro tempore, non autem Capitulo loquantur, ex tit. 1. §. seq. Cum autem ad hoc perventum & c. satis colligi posse arbitramur, cum omissa convocatione ex Moguntini negligentia, nihilominus Electores proprio motu convenire, & Regem Roman. eligere teneantur, nullâ Capituli mentione, vel in illud auctoritatis alicujus surrogatione factâ. Quod autem convocationem ad Conventus Electorum Collegiales attinet, & eam non nisi Archi-Episcopo huic competere, ex Unionis Electoralis locis sub finem theses præcedentis citatis, manifestum fieri potest. Quippe si id ipsum, quod Moguntinæ Electori tali convocationis tempore incumbit, mortuô illô, non Capitulo, sed Trevirensi Electori ex solenni pacto committitur, per §. 15. Und

Und wäre es ꝛ. citatz Unionis Electoralis, ibi: Wo aber der Fall an
Uns/dem Erz-Bischoff zu Mayntz beschehe/sollen Wir/der Erz-Bi-
schoff zu Trier / seiner Lieb des Ermahnen und vollziehen / wie obste-
het ꝛ. Ideoque Capitulum etiam ne quidem ad ullos hujus cemodi
Conventus Electorales citandum esse, consequens erit.

TH. VIII.

De Bohemiæ quoque Rege, tanquam Electorum secularium pri-
mario, qui immediatè Imperatorem sequitur, ita ut uon solum Co-
Electores suos autecedat A. B. tit. 22. in fin. sed & ipsi Imperatrici præ-
feratur, non obstante, A. B. tit. 26 §. fin. (hanc enim lectionem in
quibusdam Codicibus vitiosam esse, nec cum exemplari originali,
quod Francofurti ad mœnum asservatur convenire, Ampliss. Dn Mau-
ritius in Colleg. th. 1. citato annotavit,) an ad conventus Electorales
vocandus sit quæritur? Sane non desunt Scriptores, qui Bohemiæ Re-
gem ne quidem ad electionis Conventum citandum asserunt, quod
Author Speculi Saxonici lib. 3. art 57. & Abbas Stadensis ad An. Dom.
1240 faciunt, non sit Teutonicus. Ut autem Speculo huic argumento
eorum quæ Dn. Conringius de Orig. Jur. Germ. cap. 30. tradit, in non
nullis tantum authoritatis non sit tribuendum, ut plenæ semper pro-
bationis loco ceu Lex fundamentalis adduci queat: ita & citatam ra-
tionem. si rectè examinetur, non obstare, aut tanti faciendam arbitra-
mur, ut ad sententiam negativam amplectendam quempiam moveat,
Impunè enim Bohemiæ Reges electionis tempore præteriri non posse,
vel unicâ saltem Uladislai Regis protestatione probabitur, qui præte-
ritionem hanc, cum Maximilianus I. eligeretur, non solum indignè ha-
buit, sed & arma minatus est. *Hartw. Maurus in Relat. corona Caroli*
V. Quam etiam electionem tam diu oppugnavit, donec ab Electoris
bus ipsi & privilegio ejus satisfactum, novaqve conventionem, ne sub
500. Marcarum auri pœna Reges Bohemiæ in posterum præteriri pos-
sent, An. Ch. 1489. Francoforti cautum fuit *Quæ constitutio apud Gol-*
dastum in seinen Reichs-Satzungen tom. 2. fol. 178. legitur adeòque illâ
jus eligendi Imperatorem Bohemiæ Regi per Auream Bullam compe-
tens insigniter stabilitum fuit. *Add. Limn. ad A. B. cap. 12. §. 2. observ,*
A. & ad Capit. Ferdinandi III. art. 50. v. der Gulden Bull n. 24. seqq.

TH. IX.

Quamvis autem, ceu modò dictum est, Electionis Conventibus,
(de quibus obiter tantum hic egimus,) Bohemiæ Rex utique interesse
queat, & necessariò ad illos citandus sit; id ipsum tamen de Collegia-
libus non perinde affirmandum erit. Nec movet, quod Aureæ Bullæ

titulus 12. de Electoribus in genere loquatur, & nullum excipere videatur. Longè enim fecius tunc temporis rem sese habuisse, ac vicissim aliter hac ætate se habere, controversia caret, imprimis si de consuetudine moderna superius laudata sermo fuerit, qua observata, nequaquam illum vocandum putamus, cum nulli Unionis matriculæ (de quibus thesi 3. actum,) in scriptis reperiatur, inque omnium Imperatorum, quæ supersunt, Capitulationibus, usque ad Pacem Osnabrugon Monasteriensem de An. 1648. sex tantum Electorum mentio fiat, donec Pacificatione istâ *art. 4. s. Quod ad Domum Palatinam attinet* &c. Augustus iste numerus auctus est. Quare in sequentibus duabus post pacem hanc confectis Capitulationibus Ferdinandi IV. scil. & Leopoldi Imperatoris Septem tantum Electores recensentur. Quod autem exclusio hæc de solò Bohemiæ Rege sit intelligenda, ex omnium & singularum Capitulationum principiis colligere est, ubi alium semper de Bohemiæ Rege silentium habetur. Atque hinc à reliquis Electoribus, excluso Bohemiæ Rege, Capitulationes etiam Cæsareas condiri & præscribi, usu & observantia obtinuisse Limnæus in *Prolege, ad Capitul Imperat. Sect. 4, n. 2.* tradit. Sive igitur nunquam Bohemiæ Regibus jus fuerit, ut ad alios præterquam Electionis Conventus Electorum vocarentur: sive Imperii negotia tanquam à suâ curâ alieniora, multumque temporis & sumtuum exigentia à se rejecerint, suumque fortè Jus tacitè resignaverint; Id certum est, præter Electionis Cæsareæ causam ad Conventus Electorales Bohemiæ Regem jam pridem nec vocari quidem, neque ipsum invitum præteriri solitum. nam cum postrema Capitulatio Cæsarea Francofurti ab Electoribus conderetur, atque ex illius formula non parum momenti tractura esset ipsa electionis deliberatio, imo hæc individuo ferè nexu cum istâ contineri videretur, præsensque, tunc in Urbe esset Bohemiæ Rex, & maxime ejus interesset, non tamen ad illam deliberationem vocatus, aut admissus fuit: cujus rei satis locupletem Autorem habeo consultiss. Dn. Præsidem, qui tum corâm istic omnia hæc cognovit. Quæ cum ita sint, ad reliquos Conventus Electorales tantò minus aditum sibi Rex Bohemiæ fieri contendet,

Th. X.

Invalida igitur communis ferè Jurispublici Scriptorum censetur ratio, dum Regibus Bohemiæ hac de causâ, quod Imperii onera perferre recusarint, item quod Bohemia nulli Circulorum, in quos Romanorum Imperium divisum, sit adscripta, aditum ad conventus hosce Electorum collegiales non patere arbitrantur.

Th. XI.

TH. XI.

Primam enim quod attinet causam, & ut res clarior fiat, obiter monendum duximus, olim Bohemiarum Regnum utique oneribus Imperii obnoxium fuisse, teste Conringio *de finib. Imperii Germ. cap. 29.* An autem à vetustissimis illis temporibus collectas ejus modi perpetuo tempore in hunc usque diem de necessitate & coactè subierit, negandum videtur, quæ assertio non tam ex Recessu Imperii Augustano de An. 1500. tit. *Wie man mit dem Könige zu Hungarn und Pohlandt der Türcken halben handeln sol / Recessu Imperii de An. 1500. §.* Darauf haben Wir Churfürsten / Fürsten und Stände etc. quam ex protestatione Ferdinandi I Bohemiarum Regis, Patri suo Carolo V. Imperatori & Statibus Imperii in Comitibus Augustanis de ann. 1548. objecta apparet, *cujus verba hæc:* Daß in der zu Wormbs An. 1521. verfaßten Matricul das Königreich Böhmen mit 400. zu Ross und 600. zu Fuß belegt worden / da doch die Stände der Cron Böhmen ganz keine Reichs-Anlage bekäntlich / und gar nicht wüßten geständig zu seyn / das weder der angezogene Wormbsische / noch andere ältere Reichs-Anschläge mit Ihrer Königlich Majest. löblichen Vorfahren / Könige zu Böhmen / Wissen noch Willen geschehen / viel weniger daß dieselbe jemahls darein gehalten oder einige Hülffe darauß entrichtet / oder auch die wenigste zu leisten schuldin gewesen wären etc. Arumnæus *de Comit. 2. cap. n. 41. §. cap. 4 n. 58. seq.* Quod etiam hodie expeditum est, cum in recentissima Imperii Matricula de ann. 1654. qua Camera Imperialis utitur, & ab Ampliss. Dn Mauritio sub finem Disputationis ejusdem Inauguralis de Matricula Imperii exhibetur, nulla planè Bohemiarum Regis mentio fiat.

TH. XII.

Et hæc quoad contributiones seu collectas Imperii de Bohemiarum Regno monuisse sufficiant. Ut autem ad propositum nostrum redeamus, meritò citatam Jurispublici Scriptorum rationem pro infirmâ agnoscimus, cum non statim colligere sit, oneribus imperii non est obnoxius, ergò neque Conventibus hisce interesse poterit; hoc enim assertum si sufficiens esset, neque ad electionis conventus citandus esset. Quare Status etiam Imperii complures dari qui ab oneribus immunes Limnæus *in Jur. Publ. lib. 1. cap. 7. n. 97.* & Mylerus *de Princip. & Statib. Imperii cap. 11 n. 5.* probant, quorum assertioni etiam Reinkingius *de regim. Secul. & Ecclæs. lib. 1. Class. 4. cap. 1, n. 42.* subscribit. Exemplo sit nobis totus Circulus Burgundicus, qui, licet Imperii oneribus vigore ipsius Recessus Augustani de ann. 1548. §. *Nach deme*



den von unsern Burgundischen und Nieder- Erblanden ꝛc. obno-
 xius fuerit; mortuò tamen Carolo V. ejusque filio Philippo II. Hispa-
 niarum Rege Successore, cum Provinciis hæreditariis inferioribus bel-
 ligerante, in hanc usq; lucem Imperio nil quicquam contribuit, teste
 Reinkingk. *loc. cit. p. 333. sub tit. Burgundischer Krays* / & nihi-
 lominus tamen Status Imperii permansit, *Instrument. Pacis Cesar.*
Gall. §. Et eo sincerior, &c. Quamvis autem citato Pacificationis
 articulo hæc verba: *Post contraversiam inter Gallias Hispaniamq;*
Sopitas, adjecta fuerit: acriter tamen additioni huic Philippi IV. His-
 paniarum Regis Legatum Burgundicum se opposuisse & contradixisse
 provocatio & protestatio ejus Monasterii. An Chr. 1649. vulgata, & In-
 strumento Pacis Gallicano Lugduni Batavorum edito, adjuncta ab-
 unde testatur, Accedit Recessus Imperii de ann. 1654. §. Demnach
 auch im Friedensschluß ꝛc. ubi Circulo Burgundico tanquam Statui Im-
 perii jus præsentandi duos Assessores Camerae Imperii tribuitur,

TH. XIII.

Neque etiam altera causa quidquam probat, dum Regem Bohe-
 miæ non ad Conventus hosce admittendum vult, quod Bohemia nulli
 Circulo Imperii adscripta sit. Parum rectè enim Arumæus *de Comitibus*
cap. 4. n. 46. & Carpzov. *de L. Regiæ* censent nullum dari Imperii Sta-
 tum, qui non uni Circulorum sit adscriptus, cum contrarium Zeilerus
in eleganti trakt. suode decem Circulis Imperii Ulmae A. Ch. 1660 edito
 haud obscure ostendat; Imò, quod in Circulum referri queant, qui ta-
 men Status Imperii non sunt, Strauchius *Dissert. exoter. 1. t. bes. 6.* no-
 tat. Interea tamen Bohemiam nulli Circulorum adscriptam esse, neq;
 per se Circulum separatam facere, contra Goldastum *Lib. 1. cap. 2. n. 5.*
& lib. 4. cap. 8. in Bohem, & in consult. de Electore Bohemiae n. 13. asse-
 rere non veremur, quod etiam ex citatae Ferdinandi I. Bohemiæ Regis
 protestationis sequentibus verbis colligitur: *Weiln auch die Steu-*
ren im Reich mehrentheils auf die Stände in zehen Craysen bestimbt /
die Erohn Böhmen aber in einigen Bezirck niemals gewiesen wor-
den / sey leichtlich abzunehmen / daß dieselbe Erohn mit dem Reich in
vorigen Zeiten ganz nie gesteuert / und dannhero jeko unbillig in
des Reichs Anschläge gezogen würde / ꝛc. Arumæus *de Comit. locis tho-*
II. citat,

TH. XIV.

Porro, Bohemiæ Rex, licet non vocatus, spontè tamen si ad Col-
 legiales hos Conventus veniat, iisdemque interesse cupiat, an admit-
 tendus sit quaritur? Quamvis autem affirmativam sententiam Justus
 Sinold,

Sinold, cognomento Schuß/*Volum. 1. de Statu Rei Rom. Disp. 7. tb. 20*
defendere conetur; Negativam tamen sententiam cum Limnæo ad
A. B. tit. 12. §. 2. obs. 6. & annot. ad Capitul. Caroli V. art. 5. verb. 6.
Ehur, Fursten/praferendam censemus, ubi rem exemplo Cardinalis
Cröselii, à Matthia Bohemiæ Rege ad Conventum Electoralem No-
rimbergæ An. Chr. 1611. habitam, missi quidem, non tamen admissi
illustrat? quod etiam Arumæus ad *A. B. disc. th. 5. tb. 22. & de Comit.*
cap. 2. n. 31. p. 14. seq. observat.

TH. XV.

An autem Electores personaliter Conventui huic interesse tene-
antur, disquiri posse videtur; quod ex ipsâ *A. B. tit. 12. §. hinc est: ibi:*
Personaliter congregentur, affirmandum putamus. Nec obstat *tit. 1.*
§. Præterea statuimus & c. item §. Debet autem & c. juncto tit. 19.
ubi semper Legatorum mentio fit. Quippe respondetur, citatos titu-
los de Electionis tantum, non autem Collegialibus Conventibus lo-
qui. Ad electioni enim Conventum facilius Legatum admitti posse,
Stamlerus, *de Reserv. Imperat. §. 28. n. 8, sub fin.* tradit, cum nullâ aliâ
instructione opus habeat, præter denominationem Personæ in Regem
vel Imperatorem Roman. eligendæ, cujus gratia Conventus talis in-
stitutus est. Ast longè secius se res habet in Conventibus Collegiali-
bus, ubi in dies diversarum, imò novarum sæpe rerum deliberatio-
nes, de quibus non rarò Elector ablegans Legatum cogitare vix va-
luit, oboriantur; Imò nonnunquam Electorum Personalem præsen-
tiam in Comitibus Universalibus stricte desideratam fuisse, Rudolphi
II Imperatoris literæ denunciatoriales ad Comitibus Pragæ, 10 Januarii
Anno Christi 1549. exarata testantur, & legi poterunt apud Arumæum
de Comit. cap. 5. n. 7. pag. 249. & seq. Quam necessaria enim in-
terdum personalis præsentia etiam in Comitibus sit, ex Recessu Wor-
matiensi de Anno 1545. §. Und seynd auf solchen Reichstag ibi: *So*
seynd auch die Sachen und obligen der Christenheit / und sonderlich
des Heil. Römischen Reichs Teutscher Nation / so auff diesen Reichs-
Tag erlediget und verglichen werden sollen / zum theil also gethaffen
und gestalt / daß sie ohne persönliche Gegenwartigkeit mehrer Reichs-
stände nicht wohl erlediget oder verglichen werden mögen / colligi po-
terit.

TH. XVI.

Ut ut autem assertio hæc de personali præsentia, si Aureæ Bullæ
textui in hæere velimus, vera; si tamen de insequentium temporum
Legibus & moribus quaestio sit, Electores memoratis conventibus, vi-

gore Unionis Electoralis de ann. 1521. initæ §. 4. Wo aber zwischen
erlichen ibi; von ihren eigenen Persohnen/ oder ihren trefflichen Räte
ten zuer scheinen benennen/ und auf denselben Tage beyde Theildurch
sich selber persöhnlich / oder ihre vollmächtige Anwälte / erscheinen/
und die andern Vier aus Uns/ oder derselben treffliche Räte etc. §. 10.
Dessgleichen sollen und wollen wir etc. & §. 16. Und auf daß etc. Perso-
naliter interesse non tenentur, sed ex iusto & legitimo impedimento,
Aus Ehehafften/ erheblichen und redlichen Ursachen / die sie auf ihre
rechte Wahrheit / mit ihren offenen versiegelten Brieffen betheuren
sollen/ etc. (quæ verba non tam sapèdictæ Unioni Electorali §. 6. Und
wäre es Sache / §. 9. Wäre aber & §. 17. Würde es aber etc. quam ip-
sis etiam Legibus fundamentalibus passim inserta reperiuntur. Juti-
que Legatus mittere posse, vix quispiam negabit. Accedit Conve-
tudo thesi 3. laudata, & observantia, quæ optima Legum Interpre-
tes habetur. l. 37. ff, de LL,

TH. XVII.

Interea tamen iis nequaquam ad stipulamur, qui Legatos justis im-
pedimenti causam sub fide juramenti facere teneri autumant, quâ in
opinionem etiam Goldastus *republica pro Imper. p. 174.* versatur, ubi
assertionem suam exemplo Legatorum Bohemicorum, Wenceslaum
Regem justâ causâ impeditum ad electionem venire non potuisse
juramento confirmasse probare conatur. Daniel Otto *Dissert. Jurid. &
Polit. de Jure Publ. p. 247.* Enim verò, ut specialis hic casus parum
rectè electionis Conventibus in genere applicatur; multò minus con-
ventibus hisce Collegialibus applicari poterit, cum in Unionibus istis
Electoralibus nulla juramenti mentio fiat. quare sufficere statuimus,
si Legatus talis mandatum generale, sufficiens & legitimum, völligen
gnugsamen Gewalt (uti Germanica verba sonant) Collegio Electo-
rali exhibuerit, & de absentia causis, quò minus Princeps Elector his
impeditus ipse adesse nequiverit, fidem fecerit.

TH. XVIII.

De loco etiam, ubi scilicet Conventibus hujuscemodi Collegiales
constitui possint, quæramus necessum erit. Licet autem in A. B. tit. 12.
§. *hinc est. &c.* Civitatis alicujus S. Imperii, id est immediatè Imperio
subjectæ, uti ex additione nominis METENSIS scilicet probabiliter col-
ligere est, mentio fiat; ab hujus tamen tituli dispositione etiam hacten-
us recessum, vel saltem rem istam planius definitam esse, ex Constitu-
tione Unionis Electoralis de ann. 1521. initæ §. 4. Wo aber / §. 7. Wäre
es auch / §. 9. Wäre es aber / & §. 16. und auff daß etc. patet, ubi præ-
ter

ter Francofurtum & Gelnhusum Moguntia quoque & Fulda mentio fit, quas posteriores, ut Imperii Civitates esse haud negemus, ita tamen liberis & immediatè Imperio subjectas Frey und Reichs-Städte uti passim in Imperii Recessibus nuncupantur, nequaquam dici posse statuimus, Si tamen quis per Civitates Sacri Imperii, quarum in A. B. tit. 12. mentio fit, tam eas comprehendere vel intelligi velit quæ mediate quam quæ immediatè Imperio obnoxia sunt, nos non habebit pertinaciter sibi adversos.

TH. XIX.

Tempus, quando nimirum Conventus tales instituendi, quod attinet, sciendum est, A. B. tit. 12. §. *hinc est*, certum fuisse definitum, uti ex clavis & perspicuis verbis: *Per singulos annos semel, transactio à festo Resurrectionis Dominica quatuor septimanis continuè numerandis colligere est.* Secius autem jam rem sese habere, & partim pro Imperatoris, partim pro Electorum arbitrio, (uti th. I. diximus,) quoties necessitas vel utilitas totius Imperii, vel etiam Collegii Electoralis exegerit, convenire iis permissum esse, omnium Capitulationum verba: *Je zu Zeiten/nach Vermög der gülden Bull und ihrer Gelegenheit/ zu ihrer und des Heil. Reichs Nothdurfft/auch so sie beschwerlich obligen haben / zusammen kommen mögen / dasselbe zu bedencken und zu berathschagen/etc.* innuunt. Quæ de re Unionis Electoralis de ann. 1521. initæ & in Capitulatione Matthiæ Imperatoris, uti ex th. 3. constat, primò confirmatæ, §. 1. *Als wir betrachtet/etc.* item §. 7. & §. 16. *modò cit.* & passim videri poterit.

TH. XX.

Undè haud in commodè etiam colligitur, quid in Conventibus hisce deliberandum veniat, puta, si præcedentem thesin accuratiori mentis trutinâ perpenderit, quam ob causam scil. Augustum hoc Collegium convenire consuevit. Ejusmodi autem negotia non tã in Capitulationibus modo dictis, quam A. B. *sapè citatò tit. 12. princ.* ibi: *Ad tractandum de ipsius Imperii, orbis que salute &c.* Item *de incumbentibus Regionum sibi cognitarum defectibus &c.* quam citato §. 1. & 16. *Der Churfürstlichen Brüderlichen Rheinischen Verein* de ann. 1521. exprimi quidem, sed generalibus saltim verbis, cuius abunde colligere licebit.

TH. XXI.

Quare Specialia nonnulla desiderantem, ad sequentes Imperatorum Capitulationes & Leges Imperii remittendum censemus. Evolvat qui volet Capitul. Ferd. III. art. 7. ubi de *fœderibus cum Exteris,*
vel

vel etiam aliis, ab Imperatore non nisi Electorum consensu ineundis
 agitur; *juncto art. 10.* ubi novorum teloniorum erectionis; electorum
 que prorogationis simili modo mentio fit. Neque Instrum. Pacis de
 An. 1648. adire intermittat, cujus titulus VIII. § *Gaudeant sine contra-*
ditione &c. aliter de negotiis hisce loqui, eaq; non nisi de communi
 liberoque omnium Imperii Statuum suffragio & consensu peragi de-
 bere, sancire videtur. Nullò etiam modò insequentium Imperatorum
 eà de re Capitulationes examinare intermittat; communem enim Sta-
 tuum consensum in fœderibus dicto modo ineundis Ferdinandi IV.
 Capitulationis articulum 7. requirere videbit, sequenti tamen exce-
 ptione seu limitatione additâ: *Es wäre denn/ das publica salus und*
utilitas eine mehrere Beschleunigung erfoderte / &c. quali casu 7, Ele-
 ctorum, in Conventu hujuscemodi Collegiali, consensum sufficere
 statuitur; quæ verba etiam in Capitulatione Leopoldinâ *artic. 10.* res-
 petuntur & confirmantur. Simili modo Electorum solum consensum
 in novis teloniis seu vectigalibus erigendis, veteribusque augendis &
 prorogandis Ferdinandi IV. Capitulationis *art. 19.* requirere legi-
 mus; à quâ dispositione Capitul. Leopoldi *art. 21.* denuo recessum
 esse videmus, ubi præter consensum omnium & singulorum Electo-
 rum, nullo dissentiente, vicinorum quoque Statuum consilio opus
 esse sancitur. Quas leges fundamentales, materiæ huic nostræ ut plu-
 rimum inservientes Limnæo ad A. B. *tit. 12. §. 2. obs. 1.* duce, extremo
 solum digito attingere placuit.

TH. XXII.

Non etiam silentio prætereundus est Arumæus, *qui Discursu de*
Comit. n. 11. in Conventu hoc Collegiali ardua & gravissima quæque
 Imperii negotia tractari posse tradit, quorsum alienationes & oppi-
 gnorationes bonorum Dominialium Imperii, auctoritatis Collegii
 hujus defensionem, item Belli, Pacis & Vectigalim jus, nec non plura
 negotia, ad decus, honorem, commodum & incrementum Imperii
 spectantia refert. Aliter tamen sentire videtur Limnæus *in annot. ad*
Capitul. Caroli V, 5. verb. *Zu Ihver und des Heil / Reichs Noth-*
Durfft ubi negotia hæc distinguit, & alia primariò Electores eorumque
 jura, alia vero ipsum Imperium concernere docet; Illa proprie ad
 hos Conventus refert, hæc non indistinctim: Cum multorum ea sit
 natura, ut non nisi in publicis Imperii Comitibus expediri queant, de
 quibus *περὸ βελίαν* instituere, & citra decisionem in Conventu hoc
 Collegiali deliberare posse monet; quam etiam sententiam præjudi-
 ciiis nonnullis stabilire fatagit, ubi quædam negotia ipsum Imperium
 con-

concernentia in Collegialibus hisce Conventibus non expedita, sed ad proxima Comitium comuni Procerum consensu decidenda, rejecta fuisse testatur. Si tamen quis contendat, plusculum etiam Electoribus licere, ubi res Imperii in deliberationem adducta moram non ferunt, atque Comitiorum Consilium aut Decretum haberi vel expectari nequeat, huic tanto minus repugnabimus, quod magis consentanea Legibus Imperii locutus fuerit. Quin & sive Arumæi sive Limnæi sententiæ calculum adjecerit, eâ re nemini litem movebimus.

TH. XXIII.

Cum autem Conventuum illorum Electoralium, quos Limnæus aliquam partem locis thes. 4. citatis recenset, ibidem mentionem fecerimus, de reliquis, quos ipse omisit, nobisque investigare datum est paucis differere operæ pretium judicamus. Itaque annorum serie observata Conventus illos Collegiales, quos vel Imperator indici voluit, vel quos soli Electores celebrarunt, proprio que motu instituerunt, ordine recenserebimus.

TH. XXIV.

Agmen ducat Conventus Electoralis à Friderico III. Imperatore An. Ch. 1486. ob varia Reipublicæ utilitatem concernentia negotia Francofurti institutus, quo durante, Maximilianus I. in Regem Rom. electus est. Limnæus ad A. B. tit. 12. §. 2. obs. 4. Hoc electionis negotio confecto, idem Cæsar Electoribus exposuit, Ungaros jam per novennium infestam habuisse omnem Austriam, ejusque caput Vienneam occupasse. Itaque deliberatione habitâ in Collegio Electorali, decretum fuit, ut Imperii ordines pro rata Austria, contra Matthiam Ungariæ Regem subvenirent exercitu 34000. militum, Urbemque recuperarent, Altero post electionem Maximiliani I. factam mense, publicata fuit à Friderico III. sanctio Pacis Publicæ, quæ tamen omnium Ordinum suffragio fuit concepta, ceu ex subscriptione ejus apparet, vid. Lehman, lib. 7. Chron. Spir. cap. 116. & seq.

TH. XXV.

Successit congregatio Electorum An. Ch. 1502. Herbipoli, ubi Electoris Coloniensis querela est agitata, quod, non attento Recessu Wormatiensi, Archi Episcopatus sui juribus & Privilegiis una cum Consule & Senatu Coloniensi ad Judicium Aulicum, ut ibidem causam diceret, citatus fuerit: uti ex literis quinque Electorum ad Imperatorem Maximilianum I. die Jovis post Lucie datis, & petitionem

C

casta-

Castationis Processus Judiciū Aulici continentibus, quas Londorp ius
tom. I. Actor. publ. lib. I. cap. 3. n. 3. p. 27. exhibet, colligere est.

TH. XXVI.

Deinceps, An. Ch. 1598. quatuor Electores Rhenani, absentium-
que Legati Bacharachi convenerunt, ubi de Hispanorum, qui Julia-
censem & Clivensem Ducatum invaserant, immani & plusquam Tur-
cicā barbaris compescenda, locis in eorundem potestatem redactis re-
stituendis, inque pristinum Statum ac securitatem collocandis actum
est, uti ex literis Quatuor Electorum ad tractum Rheni ad quartum &
Electorum sex, a. diem 12. Decembris Bacharachi ad Imperatorem
exaratis patet. Londorp. *tom. I. lib. I. p. 112. & seq.* Legi quoque eā de
re merentur literæ, quas Legatus Rudolphi Imperatoris Carolus Nür-
zelius à Sünders bühel/ ante hunc Conventum Electoralem Clivæ
ultimo Octobris ad Franciscum de Mendoza, Ammiralium Arrago-
nensem dedit, quibus ille tanquam testis ocularis, & qui Imperatoris
jussu & mandato memoratas ad ditiones defendendas missus fuerat,
horrendam tyrannidem istic locorum contra fidem non ita pridem
datam, perpetratam, acerbis verbis Ammiralio objicit & exprobrat,
deque immani ejus crudelitate Imperatoriam Mejestatem certiores
se redditurum significat. Londorp. *loc. cit. p. 99. & seqq.*

TH. XXVII.

Supereft ut ad Conventus illos Collegiales, quos Limnæus loco
sæpe memorato recenset, perveniamus. Primum autem Conventum,
cujus ibidem mentionem facit, An. Ch. 1608. Fuldæ peractum tradit,
quem tamen Londorp. *loc. dict. cap. 7. n. 9.* biennio ante hoc loco
celebratum scribit. Illud expeditum est; quod in Conventu isto in-
ter alia de rebus justitiam concernentibus deliberatum fuerit. Cum
enim justitiā nulla societas, nedum vasta aliqua Republica carere
queat, omnes ingenii nervos intendendos esse decidebatur, ut tunc
temporis expressa justitia erigeretur, justoque tramite res in judicium
deductæ procederent: Eiusque rei gratiā etiam de Revisionibus actū
fuit, quomodo illæ ab aliquot annis posthabita ac neglectæ tempestive
vè locum suum invenire, & tueri possent. Neque verò his Comitibus
tantum de rebus ad justitiam & judiciū ordinem pertinentibus, sed &
Hungaricis & Belgicis consultationem propositam fuisse, cum ex Lon-
dorp. tum Limnæo videre est. Atque hunc si inspexeris, *ad art.*
5. Capit. Caroli V. verb. zu Threr und des Heiligen Reichs Noth-
durfft

durffst/istum quoque allegatum deprehendes ; quò etiam loco Limnæus sese corrigit, & Conventum Collegialem, quem ad A.B. tit. 12. §. 1. obs. 2. & ad Capit. Caroli V. art 5. verb. Nach Vermögen der gülden Bullen / n. 6. Fuldæ An. Ch. 1608. celebratum fuisse tradidit, cum Londorpio An. Ch. 1606. peractum fatetur.

TH. XXIIII.

Sequitur Conventus Electoralis Norimbergæ An. Ch. 1611. Mense Septembri celebratus, in quò, quid propositum fuerit, neque Londorpius, neque alius quisquam disertè commemorat. Ex MSptis tamen probatissimis & summâ diligentia congestis constat, de Electione Rom. Regis tunc præcipuè deliberatum fuisse. Quippe inclinante ad excessum Rudolpho II. Imperatore, magis magisque solliciti fuere Principum animi de Successore, cum primis tali, qui etiam fartam tetam cuperet esse Pacem Religiosam. Sed præter hoc etiam alia magni momenti negotia in Consilium tunc vocata fuisse, eadem nobis MSpta fidem faciunt: ut tamen ipsi non soli Electores, sed & alii complures Imperii Principes, imò Cæsaris Regumque Hispaniæ, Bohemiæ & Hungariæ Legati inter fuerint, vel saltem hi adfuerint. Quo pertinent illa Gottofredi Schulzii verba, *quæ in ejus Chronicis An. Ch. 1660. editis p. 150. leguntur: Die Chur- und Fürsten hielten eine persönliche Zusammenkunfft zu Nürnberg / und baten beym Kaysen Rudolpho umb bessere Anstellung der Justitz- Sachen in der Kaysertlichen Cammer*

TH. XXIX.

Proximum Collegialem Coventum ab hoc etiam Norimbergæ An Ch. 1619. peractum esse, Limnæus locis sæpè citatis annotat. Enim verò licet negari haud possit, hoc ipso anno insignem Personarum quarundam Illustrissimarum Conventum ibidem fuisse celebratum, parum rectè tamen illum inter Collegiales Electorum referri, partim ex Personis, quæ Congregationi huic interfuere, partim negotiis ibidem deliberatis colligere est; quare hæcenus Limnæi assertioni vix tuto subscribere quempiam posse judicamus. Quantum ex Theatro Europæo investigare licuit, deprehendimus, omnes Protestantium. Religioni addictos Electores, Principes & Status Imperii finitis Heilbrunensi & Rotenburgensi ad Tubarim Conventibus, Norimbergam ad Consultationem de rebus Patriæ, libertatem & Religionis securita-

rem concernentibus fuisse convocatos, quod etiam ex literis denunciatorialibus die 8. Mensis Septembr. datis, videre est. Quod etiam Legatus Cæsareus destinatus venit, ubi Imperatoris nomine proposuit, quod Majestas Sua de Conventu hoc certior facta, haud alium obfinem institutum eum censeat, quam quomodo motus in Imperio, & præprimis per acceptam à Palatino coronam Bohemicam excitati, possint componi, & tranquilla tempora Reipublicæ restitui: Et verò majestatem suam, hanc in rem omne suum studium convertere decreville, operamque enixè daturam esse, ut sublatis omnibus dissidiarum ac differentiarum causis vel prætextibus, suum cuique jus, decus ac honos reddatur. Qui igitur conventum hunc denunciarint, qui interfuerint, quid in deliberationem venerit ac responsum, & deniq; quid conclusum, hac de re prolixè *Theat. Europæ. par. 1. p. 283. seqq. agit*, quò plura desiderantem remittimus. Fuit ergo celebris iste & frequens Conventus Norimbergensis non Electoralis, ut *Limnæus* existimavit, sed illorum Principum, qui Unionis fœdere & nomine tunc continebantur,

TH. XXX,

Cæterum illud constat, Annò proxime subsequenti 1620. Collegium Electorale Mülhufi congregatum fuisse, ibique magni momenti negotia in deliberationem venisse, imprimis autem quomodo periculossimi motus Bohemici sopiri possent, ne flamma belli latius vagata, Germaniam aliasque etiam Provincias corripere. De quâ temporum bellique tempestate actorum publicorum Scriptores & Historici adiri legique poterunt. Qui inter alia commemorant, valde sollicitos fuisse Protestantium animos, ne bello Bohemico imperatori feliciter succedente, novæ vindiciæ bonorum Ecclesiasticorum instituerentur, opesque bellicæ hanc in rem deinceps converterentur. Quapropter magna consiliorum inter Electores pars fuit, ut Paci Religio sè suus honos, fides & autoritas constaret. Vid. *Theat. Europ. part. citat. fol. 338. seqq.*

TH. XXXI.

Electores etiam Conventus An. Ch. 1623. Ratisbonæ habitus est, quò in loco etiam Imperator commorabatur. De variis rebus sive totius Imperii tranquillitatem & concordiam sive Collegii Electoralis dignitatem ac præminentiam concernentibus, tunc disputatum fuit, ut plurima actorum publicorum folia hac de re typis excusa restan-

stantur, Vid. Londorp. *tom. 2. lib. 6. p. 730. item cap. 185. & 193.* qui præter alia significat, de Friderico Palatino ibidem actum fuisse, ceu *tom. 4. lib. 2. p. 370.* ab initio legitur. Addi quoque poterit Theatri Europ. *part. 1. p. 806. seqq.* Ubi Cæsar Electoribus absentiumque Legatis (neque enim Trevirensis, neque Saxonie Elector, quamvis Imperator literas suâ manu ad hunc exaratas misisset, & personalem illius præsentiam desiderasset, nec etiam Brandenburgensis Conventui huic personaliter interfuere) proposuisse legitur, de autoritate majorum votorum sufflaminatâ, Camera Spirensis & Judicii Aulici in dubium vocatâ jurisdictione, sub obtentu Religionis magnis excitatis motibus, foederibus cum Exteris non sine deliberatione Cæsareæ Majestatis initis, militeque eum in finem conscripto, aliisque ad illorum temporum conditionem facientibus causis.

TH. XXXII.

Hunc Conventum Mülhusianus An. Ch. 1627. institutus, secutus est, quem etiam locum Electores, absentiumque Legati initio Mensis Octobris auspicio felici ingressi sunt, & die 19. mensis invitati primam sessionem in curiâ Mülhusianâ celebrârunt, ubi auditâ propositione Cæsareâ, Elector Moguntinus quoque de recuperandæ pacis remediis, recuperatæque conservationibus, quomodo item Palatinus bonis conditionibus Cæsari conciliaretur, & cum illo in gratiam rediret, ipsique satisfieri posset, deliberandum proposuit, Londorp. *tom. 3. act. publ. lib. 8. cap. 126. p. 994. & loc. cit. cap. 142. pag. 1012.* Theat. Europ. *part. 1. p. 1113. seqq.*

TH. XXXIII.

Succedit jam alius, qui An. Ch. 1630. Ratisbonæ habitus fuit, quem non Electores motu proprio instituerunt, sed ipse Imperator per Moguntinæ Electorem indicî voluit, uti ex ipsis literis Resolutionis Electoralis Ratisbonæ die 16. Julii ad propositionem Cæsaream datis apparet, ibi: So endlich auch bewogen worden/den Hochwürdigsten/ Unsern gnädigsten Herrn den Erzbischoffen und Churfürsten zu Maynz / umb Außschreibung gegenwärtigen Churfürstlichen Collegial Tags zu ersuchen/ &c. Londorp. *tom 4, lib, 1. cap, 17. fol, 52. & seq,* quæ verba etiam Limnæus in *Mantissâ ad Capitulationem Ferdinandi II. pag. 612.* citat Thea. Europ. *part, 2. pag, 109.* Quamvis autem ipse Imperator, cum Ratisbonam pervenisset, per citatos Cursos publicos ad omnes Electores scripisset, in specie verò ad Saxo-

niz & Brandenburgensem, Electores literas gravissimis rationibus subnixas exarari curasse, neuter tamen illorum personaliter, sed uterque iterum per Legatum Conventui huic interfuit. Theat. Europ. *part. cit. p. 163. seq.* ubi idem de pace Germaniæ restituendâ causisque Pacificationi Universali inservientibus actum fuit. Quo tempore inter alia etiam hoc notatu dignum à Cæsare Electoribus deliberandum commendatum fuisse legimus, quomodo Batavis Fœderatis obviam sit eundem. si fortè deinceps rebus Imperii se miscuerint Thea. Europ. *part. ead. p. 211. seqq.* Durante hoc Conventu etiam Saxoniz Elector per Comitem à Mansfeld sequentia proposuit: 1. ut investitura & omnia Privilegia, quæ Domui Saxoniz competere, eidem concederentur. 2. In eam curam cogitationemque ut Majestas Cæsarea incumberet, quomodo 62. Tonnæ auri persolverentur. 3. ut omnia Religionem & Politicum statum concernentia, item Civitas Augusta Vindelicorum in eum Statum, quò aute belli Bohemici tumultus gavisata, collocarentur. 4. ut edictum Ecclesiastica bona concernens cassaretur. 5. Ut Duces Bellici Cæsariani rationem reddere tenerentur, in quos usus contributiones ab Imperio extortæ collatæ essent. Quibus capitibus ab Imperatore partim decisus, partim ad aliam deliberationem non sine benignâ promissione remissis, Svecorum Rex Gustavus Adolphus exercitu instructissimo Imperium intravit, & expeditionis suæ causas Electorali Collegio significavit; quare tempus reliquum conventui huic destinatum literis & responsionibus Sveciæ Regis impendendum erat. Londorp. *tom. 4. lib. 1. cap. 18. fol. 37. seqq.* Tunc temporis etiam Magnæ Britanniz Regis, aliorumque Magnatum Legati, Collegium Electorale adierunt, & pacis publicæ promotionem Principalium suorum nomine procurandam petierunt, cui & Palatini causam nota de meliori commendarunt. Tandem Collegialis hic Conventus mense Novembri ad metam perductus est. Londorp. *loc. cit. cap. 35. p. 98. & cap. 37. p. 100. seqq.*

TH. XXXIV.

Post sexennium, puta An. Ch. 1636. Imperator Ferdinandus II. per Moguntinum Electorem novum Conventum in eadem Ratisbonæ institui voluit, ubi congregatis Electoribus sequens propositio ibidem prælecta est. Quod scilicet Cæsarea Majestas in id omnes ingenii nervos intenderit, quomodo bellorum flammæ tot jam Provincias depopulatæ exingui, & pax desideratissima restitui potuerit. Cum autem Sveci

ca.

exercitu validissimo Imperii ditiones ingeffi sint, Galliarum quoque Rex loca haut contemnenda in potestatem suam redegerit; ne forte Imperium, si periculosissimis hisce temporibus capite suo privaretur, tumultibus & bellis grauioribus implicaretur, ipsam necessitatem postulare, ut vivò Imperatore, certus in Imperio Successor designaretur. Mox Imperator Filium suum (Ferdinandum sc. III.) virtutibus Regis apprimè conspicuum diligentissimè Collegio Electorali commendavit, additâ petitione ut istum aliis præferre, tanto honore dignum æstimare imperialemq; dignitatem in eum transferre, haud dedignarentur: Neque verò hoc obsequium liberæ electione ei competenti Præminentia & Dignitati Electorali ullo unquam tempore præiudicio esse debere, & Se vicissim favorem istum singularem, gratiâ & affectione Cæsarea, pro re nata promereri, paratum promptumque fore. Videatur Londorp. *tom. 4. lib. 3. cap. 89. p. 576. & seqq.* ubi Collegii Electoralis responsio annexa legitur Item Theat. Europ. *part. 3. p. 618. seq.*

TH. XXXV.

Succedit congregatio Electoralis Norimbergæ An. Ch. 1640. celebrata, ubi die 23. Jan. Electoris Moguntini Legati proposuere, quod causa instituti huius Collegialis Conventus is haud sit incognita quandoquidem id unicè deliberandum, quomodo Pax aurea vel imperio restitui, vel quâ ratione bellum Imperii opibus instrui, ejus que bono continuari possit, ne ex his turbis & tempestate ruina tandem totius Imperii sit metuenda. Hoc negotiò sedulò deliberatò & examinatò, Imperatorius Legatus à Ferdinando III. Cæsare ad Conventum hunc Collegialem missus Norimbergam venit, inque congregatione hac Electorali Imperatoris Majestatis curam, sollicitudinem & desiderium, quomodo pax optima, exoptatissimaque Germaniæ restituenda, exposuit. Londorp. *tom. 4. lib. 4. cap. 3. p. 785. seqq.* Venit quoque istuc Magnæ Britannia Regis Legatus ordinarius, & Moguntino Directorio magni momenti literas, latinè exaratas Regis Angliæ nomine exhibuit, easque totius huius Collegii benevolentia & prudentia commendavit. Londorp. *tom. 4. lib. 1. cap. 87. pag. 266. seq.*

TH. XXXVI.

Sed & Moguntia An. Ch. 1642. Legati nonnulli Electorales convenerunt, quos inter Moguntinenses sequentia capita deliberanda proposuere: Quomodo Electoratus, & ditiones vicinia & ab his dependentes ad tractum Rheni sitæ, ab imminente exercitus Vinariensis gal-

lici



lici & Hassici invasione defendi ac liberari possint. Quod si ad expellendum hostem, ejiciendumque Archi-Episcopatu Colonienfi, ducatu Juliae, aliisque locis in potestatem hostilem redactis, Hartzfeldiacus & cum eodem conjunctus Electoris Bavariae Imperialis exercitus fuerit invalidus, & pluribus Legionibus opus sit, unde pro tantâ militum nec non equorum numero annona aliaque necessaria sint petenda. Quomodo item tractui Rhenano superiori subveniendum, ne subitanea hostis irruptio sit metuenda. Præterea, quâ ratione Imperium in eum Statum, quô olim feliciter & tranquillè utebatur, reponi, & in posterum causæ, ob quas Imperium tot tantisque calamitatibus jam sit involutum, funditus é medio tolli queant. Sed & eò sollicitudinem Electorum extendendam esse, ut Cæsarea Majestas, aliaque Nationes intelligant, grassantibus hisce bellorum tumultibus Electores officio suo minimè defuisse, adeoque tantorum malorum causam ipsis incommuni calamitate gravissima damna perpeffis, à posteritate imputari hautquaquam debere. Tandem quâ ratione à Republicâ Venetâ controversia mota, præcedentiam concernens, & satis longo jam temporis spacio agitata, explicari & ad metam tandem perducî queat, quæ dignitas & præminentia Electoralis antiquitus acquisita; non tantum in Imperio, sed & ditionibus extra illud sitis, sine ullâ deliberatione, facta tecta conservetur. Londorp *tom. 3. lib. 2. cap. 19. p. 770. seq.*

TH. XXXVII.

Nec etiam omittendus est Conventus Electorum An Ch. 1652. Pragæ celebratus, ubi Electores adventantes ab Imperatore magnificentissimè excepti sunt. Tandem, cum Moguntinus Elector die 8. Mensis Novemb. sequenti verò die Trevirensis, Electori Saxoniae, tunc temporis Seniori Electorum, porrectâ manu juramento Collegiali se adstrinxissent. propositio Imperatoria iisdem prælecta est, quæ sequentia duo capita continebat: 1. Quomodo generalibus verbis decreta Pacis executio speciatim & in partibus expedienda. 2. Quomodo Cæsareâ Majestate, adversâ valetudine laborante, Romano Imperio prospiciendum. Quamvis autem Electorum vota secreta manserint hoc tamen animadvertere licuit, Electores non nisi generalem voluntatis propensionem contestatos fuisse, & quæstiones propositas ad communem Statuum deliberationem in Comitibus proximis referre maluisse, *Theat. Europ. pap. 289. seq.*

TH. XXXVIII

TH. XXXVIII.

Huc etiam referri posse putamus *Conventum Electoralem de An. 1657. Francofurti celebratum*, qui, licet electionis gratiâ præprimis institutus fuerit, alia tamen etiam negotia tunc sub incudem vocata fuisse, satis est compertum. Electionem enim Imperatoriam, cujus quidem gratia Electores præcipuè convenerant, commodè perfici non posse, nisi in immensum evagatæ bellorum flammæ inter potentissimos Galliarum & Hispaniæ Reges, aliosque Magnates ante sedatæ ac sopitæ fuissent, Elector Moguntinus censuit. Accessere mox Galliarum Regis gravamina, qui per Legatos ad Augustum hoc Collegium Electorale missos conquestus legitur, quòd Cæsar contra Pacificationem Monasteriensem, Capitulationem novissimam, Recesum que Imperii etiam si fide Jurata se his obstrinxisset, Hispaniarum Regi per aliquot subinde annos integros exercitus, qui præsidio essent, Provinciis hæreditariis Belgicis submiserit, imo, quod non ita pridem copias quasdam exercitus Imperialistitulo insignitas contra Galliarum Regem ejusque confederatos in Italiam miserit, Subaudiæ Ducem competente Vicariatu privavit, illumque in Mantuanum Ducem transtulerit, uti in *Theatro Europæ part. 8. pag. 53. seq.* legere est. Quibus omnibus, aliisque rebus in hoc Collegio perpensis, sequenti demum Anno 1658. scilicet die 8. 18. Julii Leopoldus invictissimus in Rom. Imperatorem electus est.

TH. XXXIX.

Cum autem Electores proinquiniora S. Imperii membra, Palmites & columnæ sint, quorum circumspectæ prudentiæ solerti pietate sacrum ædificium sustentatur. A. B. *Proæm. item tit. 2. §. 5. junctio tit. 7. §. 1.* maximè Reipublicæ interesse, ut potestas hæc conveniendi Electoribus salva maneat, Arumæus *de Comit. cap. 2. n. 29. pag. 39.* tradit. Quia enim multò difficilius omnium Ordinum Universalia Comitia cogi possunt, & lentius ferè negotia ibi procedunt, animi quoque ac consilia magis distrahuntur; hinc Collegialium horum Conventuum Electoralium sapienti directione, S. Rom. Imperium adversus hostium aliorumque ejus libertati inhiantium astus & periculosa molimina sæpius conservatum fuit; Quod etiam Dn. Bœclerus, laudatâ Disp. *de Congressib. & Colloq. Princip. t. best. 43.* observat, cujus verba legi ac probè mentibus infigi merentur.

D

TH. XL.

Incidenter etiam de Capitulationis Imperatoriae conceptione & præscriptione nonnulla breviter dissertationi huic adjicere, haud incongruum judicamus, & quidem hac de causâ, quod Electores vel plenipotentiarîi eorum, qui conventustales Collegiales frequentare possunt, excepto Bohemiarum Rege, (uti thesi 9. diximus,) formulam illius Regibus aut Imperatoribus Romanis, à Carli V. Electione, in hanc usque lucem conceperunt, examinarunt, & præscripserunt. Mortuo tamen Rudolpho II. à Statibus nonnullis quaestionem hanc motam fuisse, ob die *Churfürsten bemächtiget / in consultis reliquis Statibus Cæsari eine neue Capitulation vor zuschreiben / weisen die alten Compacta cum Consilio Statuum aufgerichtet /* Londorpius *ætor. publ. tom. 2. lib. 3 tract. 2. pag. 639. tradit. Vid. Limn in proleg. ad Capitul. section. 4. n. 2. & 5 Hip. à Lapid. part. 1 cap. 15 section 1. p. 274. Cum autem Instrumento Pacis de ann. 1648. art. 8. Habeantur autem &c. ita sit cautum: Quod de certâ constantique Cæsarea Capitulatione concipienda ex communi Statuum consensu agendum statuendumque sit; Quæstio ista de Capitulationis præscriptione in Comitibus Ratisbonensibus die 16. Maji, An. Chr. 1653. in Principum Senatu denuo agitari & in lucem revocari cœpit, qua tamen satis diu examinata, Pontificiæ Religionis addictos principes, Evangelicis respondisse terunt, quod Electores competente hoc in casu jure nihilominus usari, nec quicquam præscribi sibi permissuri essent; si quid tamen haberent, quod monere vellent, in eorum arbitrio positum esse; Et sic votorum pluralitatem Principes Pontificios obtinuisse, Comitologia Ratisbonensis Author, part. 4. Dissert. ult. post Capit. Ferdin. IV. n. 6, seqq. pag. 325. & seq. restatur. Quare, ne Principes huic negotio se tuæ temporis immisceant, Electores à Comitibus Ratisbonensibus Augustam Vindelicorum secedere, ibidemque Ferdinandum IV. eligere maluisse; citatus Author part. 2. Dissert. 1. n. 22. p. 70. observat.*

Cum autem Capitulationis præscribendæ modus per R. J. de ann. 1654. §. Wann aber bey erstameldter &c. denuo secundum Pacis Instrumentum perficiendus constituatur; monita quoque ad Leopoldi Imperatoris Capitulationem à Statibus Imperii concepta, & die 17. 27. Aprilis An. Ch. 1658. Electori Moguntino communi eorundem nomine ablata sunt, quæ præter alios apud Autorem der Grund-*Besten des Heil.*

Heil. Röm. Reichs part. 3. cap. 3. pag. 208. seqq. Lampadium in Politischen Reichshandeln / pag. 143. seqq. legi poterunt.

TH. XLII

Quamvis igitur Statuum nonnulli jus illud Capitulationis Imperatoris præscribere dæ secundum Pacis Instrumentum & modò citatum Recessum Imperii, non solis Electoribus relinquendum, sed communi Statuum consensu peragendum existimarint; monitorum tamen plurimorum, æquè ut in Ferdinandi IV. Capitulatione, nullam rationem habitam fuisse, tam ex protestatione illæg. Augusti Anni citati Directorio Moguntino exhibita, quam ipsâ Capitulatione novissima colligere est.

TH. XLIII.

Interea tamen Regis Romani & moderni Imperatoris invictissimi post Instrumentum Pacis confectas Capitulationes ab iis, quæ ante Pacificationem hanc Imperatoribus præscriptæ, in quibusdam non nihil differre & mutatas esse, ex Ferdinandi IV. Capitulatione art. 7. & Leopoldi art. 10. patet, ubi præter Electorum consensum, etiam Statuum approbatio requiritur, nisi Imperii salus aut necessitas uti thesi 21. dictum, expeditorem viam postulaverint. Accedit, quod etiam principum & clausula cujusvis Capitulationis post Pacem Osnabrugo. Monasteriensem confectæ, mutata sit, ubi Rex Rom. & Imperator non solum Electoribus, sed omnibus Imperii Statibus fidem suam juramento adstringit, quod ipsissima hæc Capitulationum verba, quæ ferè initio leguntur: *Das wir uns demnach aus freyen gnädigen Willen / mit demselben Unsern lieben Neven / Oheimen und Churfürsten / vorsch und sämtliche Fürsten und Stände des Heil. Röm. Reichs / Geding und Pactsweise / dieser nachfolgenden Articuli vereiniget / verglichen / angenommen und zugesaget, haben / ic. item quæ clausulis inserta: Solches alles und jedes / wie obstehet / haben Wir obgedachter Römischer König / den gedachten Churfürsten vorsch / und im Nahmen des Heil. Römischen Reichs geredet / versprochen / und bey Unsern Königlichen Ehren / Würden und Worten / im Nahmen der Wahrheit zugesaget / ic. satis perspicuè testantur, quorum in Imperio Antecessorum neminem id fecisse, ex præcedentibus Imperatorum Capitulationibus, luce meridianâ clarius perspicere licet.*



TH. XLIV,

An autem Conventus isti Electorum Collegiales, de quibus agere institui nostri fuit, sublatis sint, vel in desuetudinem abierint, disquiri demum posse videtur; Et quamvis affirmativam sententiam Justus Sibold, *volum. de Statu Rei Rom. Disp. 7. th. 20.* tueatur, cujus tamen assertio, nisi de annuis illis & quidem ad certum tempus restrictis conventibus (de quibus A. B. *tit. 12.* loquitur,) intelligenda, quomodo persistere queat colligi vix poterit; cum non Conventus ipsi, sed terminus tantum præscriptus sublatus sit: ut adeò Conventus isti nullatenus sint sublatis, aut jus ita conveniendi & deliberandi sit imminutum, sed tempus legitimum similesve circumstantiæ fortè aliæ in arbitrium jam Electorum per consuetudinem Legibus Imperii confirmatam sint collatæ pro usu Reipublicæ illo utentium. vid. *Limn. ad A. B. tit. 12. §. 2. obs. 5. & 15.*

TH. XLV.

Neque etiam illorum assertioni subscribendum putamus, qui Regimentum in locum Conventum horum Electoralium successum volunt, quod Arumæus ad A. B. *Discurs. 3. th. 21.* facere videtur ubi inique Paurmeistero *lib. 2. cap. 2. n. 48. de jurisdic.* hanc sententiam affingit, cum neque editione An. 1608. neque An. 1616. typis excusâ loco citato tale quid reperiat. Quare rectius dixisse mihi videntur, qui Regimentum in locum Comitiorum illorum, quæ olim annuatim celebrantur, uti ex *Constit. Pacis Publ. de An. 1495. tit. von der Ubersahrer des Friedens Enthaltung / & Confirmatione Pacis Publ. anni ejusdem in fin. princ. & s. sequenti* constat, surrogatum censet. Quorum assertio etiam ex ipsâ Regimenti Ordinatione de Ann. 1500, *tit. von den zwanzigen R. & seq.* optime probari poterit. Cum enim hujuscemodi Conventus annui præter molestiam nimios etiam sumptus exigerent, & neque rarò talia negotia inciderent, quæ sine ingenti Reipublicæ detrimento ad Conventum talem annum usque differri haud poterint, à Maximiliano I. Imperatore, consentientibus Statibus in Comitibus Augustanis Au. Ch. 1500. Regimentum istud, cujus Assessores totum Imperium representabant, institutum est; quod etiam ex *Declaratione Pacis Publ. de An. 1500. tit. Von des Regiments Macht wieder die Friedbrecher / ibi; und aber durch das verordnete Reichs Regiment hie auffgerichtet / die jährliche Versammlung abgestellt ist / R.* satis manifestè colligere est, quam sententiam Paurmeisterus *de*
juris

juridic. locis citatis. n. III. seq. Arumæus. de comit. cap. 4. n. 50. & Hippol. à Lapide part. 2. cap. 4. section. 1. § seqq. defendunt. Regimentum itaq; ex sententiâ Paurmeisteri non suffectum fuit Conventibus Electoralibus, sed Comitibus annuis Universalibus, eaq; anthoritas in illud collata fuit, quæ toti Imperio ejusque ordinibus in Comitibus competebat.

TH XLVI.

Et hæc de Conventibus Electorum Collegialibus tradidisse sufficiant. Licet verò haut defint, qui Conventus tales frequentiores, quam nos recensuimus, fuisse putent, illorum tamen assertioni temerè adstipulari non licet: cum acta illa rariora, quæ hac de re in nonnullis Statuum Archivis quàm diligentissimè asservantur, evolvere haut cuivis permissum sit, nec etiam Autores illi rariore materia huic inservientes, utcunque à multis desiderati, ubivis locorum haberi queant. Proinde his, quorum Limnæus quidem, sed non nisi obiter mentionem cit, & nonnullis, quos silentio præteriit, sedulâ tamen inquisitione adhibitâ, ex Scriptoribus illis, qui ad manus nobis fuere, erutis atque collectis, contenti esse jubemur. Nec etiam de omnibus & singulis negotiis in memoratis Conventibus ad deliberandum propositis & examinatis prolixè hic agere instituti nostri fuit, cum de nonnullis, eâ quâ fieri potuit, brevitate disserere, non sine ratione nobis decretum esset, neque Disputatio hæc exercitii tantum gratiâ elaborata, & more Academico ad ventilandum proposita, ultra propositum nimis excreceret. Quare Benevolum Lectorem plura fortè in Collegialibus hisce Conventibus peracta desiderantem, ad Archivorum rariora & arcana Scrinia, nec non Annalium & Actorum publicorum Scriptores, imprimis verò Londorpiam continuatum & Theatrum Europæum remittimus. Interea optare liceat, si potiri non licet, ut Lector Benevolus ea quæ adhuc desiderantur in hac Dissertatione, æquanimitate & Benevolentia suâ supplere, nec non erratis, si quæ fortè incautis obreperint, veniam tribuere haud gravetur. Quippe in magnis & voluisse sat est.



Ne



Ne vacaret, quod reliquum est char- tæ, subjecimus quæ sequuntur ex Jure Feudali COROLLARIA.

I.

Solum Imperatorem de feudis Regalibus in mediâ Imperio sub-
jectis cognoscere posse, Juris publici & Feudalis Scriptorum per-
multi affirmant, 1. feud. 18. 2. feud. 34. princ. & 2. feud. 55. in fin.
arg. Constit. Friderici II. & Alberti Imperatorum apud Goldast.
Der Reichs / Sâkungen p. 2. Constit. 13. ibi: ohne Fürsten und andere
hohe Leute / etc. Ordinat. Regim. de An. 1521. §. ob auch Sachen vor-
fielen / etc. Ordinat. Cam. part. 2. tit. 7. §. eod. A. B. tit. 7. in fin. Inst.
pac, §. quoad processum Judicarium &c. in fin. Nec pauciores etiam dis-
sentientium reperiuntur, qui ad Jus Principum, quod præter Goldastum
in seinen Reichs - Sâkungen Londorpius exhibet, provocant, & lites
hujuscemodi absque Parium Curie associatione nequaquam dirimen-
das contendunt. Probant porrò assertionem suam Capitul. Caroli V.
art. 9. facultates Imperii, &c. Zu dem und insonderheit etc. artic. 24.
Imperii bona &c. Wann auch Lehen etc. Ferdinandi IV. & Leopoldi.
art. 30. seq. item Capit. Ferdin. II. art. 39. Ferdin. III. art. 42. Fer-
din. IV. art. 40. Leopoldi. I. art. 39. ubi in rebus magni momenti ad
minimum Electorum consensus requiritur. Quâ de controversiâ, si
quis mentem nostram scire expetat, eam sciscitanti extemplo aperie-
mus.

II.

Fæminam, cui successione jus ex ipsâ investitura acquisitum, ob
existentiam masculi succedentis, semel exclusam, ulterius non admitti,
sed in perpetuum exclusam intelligi Juris Feudalis Scriptores varii,
quos Vulte Jus citat, defendunt, 1. feud. 6, §. 1. Negativam tamen sen-
tentiam tanquam æquiorē pariter ac veriorem, & à Collegio Juri-
dico Lipsiensi, Tubingensi, wittebergensi & Marpurgensi approba-
tam

tam cum Carpzovio *Jurisp. rud. Forensi part. 3. Constit. 28. Definit. 19.*
preferendam censemus, ubi eandem tam firmis rationibus & argumen-
tis Jctos Excellentissimos propugnasse scribit, ut, qui relictis hifce
frugibus adhuc glandibus vesci malit, vix inter prudentes hodie locum
tueri suum possit

III.

Toties feudi renovationem petendam esse, quoties vel Domini
aut vasalli persona mutatur, expediti juris est. Quare intra ANNUM
& DIEM investituræ renovationem fieri debere statuimus, *2. feud. 44.*
princ 2. feud. 55. in fin. princ quam assertionem etiam Doctorum com-
munem esse, Curtius junior tradit. Interea neque his, qui *arg. 1. feud. 22.*
ANNUM & MENSEM requirunt, neque illis, qui textum *1. feud. 22.*
corrigen- dum & MENSIS vocabulum delendum censent, ad stipulari
possumus, cum textus iste non de quovis nobili, uti nonnullis placet,
sed de vasallo militante intelligendus sit; quod etiam ex ipsa tituli hujus
jus inscriptione haud obscure colligi posse videtur.

IV.

Filios, ex matrimonio quidem legitimo, ad morganaticam
tamen contractò procreatos, à feudorum successione removeri,
2. feud. 29. probatur, cui assertioni & nos subscribendum putamus,
non obstante *2. feud. 26. §. filii nati &c.* ubi affirmativa sententia legi-
tur. Negativè enim textum hunc legendum, & particulam NON ad-
dendam esse, ex verborum contextu abunde colligitur, quod etiam
Juris Feudalis Scriptores accuratiores, ad locum cit *2. feud. 26.* obser-
vant.

V.

Filium repudiatà defuncti Parentis hereditate feudum, sive hæ-
reditarium sive exacto sit, retinere non posse, Feudistarum commu-
nis assertio est *2. feud. 45. & 51. §. filius, &c.* Secius tamen rem cum
Agnato se habere, ex citatis textibus colligere est, quippe qui repudia-
tâ etiam hereditate feudum exacto seu providentia nihilominus con-
sequi potest, cum filius, cujus conditio hoc in casu durior quam Agna-
ti, utrumque vel retinere, vel repudiare cogatur. Quænam autem dif-
ferentiæ ratio sit, Commentatores variant, uti præter alios ex Baldo
& Duareno videre licet.

VL. An.

VI.


An Vasallus contra Patrem feudi Dominum adjuvare teneatur, acriter inter se digladiantur Feudistæ; Et quamvis Cujacius PATRIS vocabulum, quod 2. feud. 28. s. fin. legitur, autoritate Codicum nonnullorum deleat; Hunnius verò textum hunc tanquam Juri Divino, pietati, & rationi naturali contrarium rejiciat. Aliam tamen ab his sententiam optimæ notæ Dd, fovent, dum Vasallum utique Feudi Domino contra Patrem ad servitiorum militarium præstationem teneri & adstrictum esse defendunt, per cit. text express. 2. feud. 28. quorum assertioni tanquam veriori & nos subscribendum putamus.

VII.

Feudi refutationem volente Domino fieri posse, expediti juris est, 2. feud. 14. An verò nolente, & invito illò æquè fieri queat, magni nominis Feudistæ negant; Alii controversiam hanc distinctione quadam inter Feudum conditionatum & indeterminatum decidi posse contendunt. Horum tamen assertionibus nil quicquam obstantibus, Juris Feudalis Scriptores plurimi & probatissimi feudum utique in vitio Domino refutari posse judicant, per textum expressum, 2. feud. 33. sub fin. quorum sententia, cum receptissima habeatur, haud immerito nobis quoque defendenda erit.



107 D



B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

18782271

II R
2134

DISPUTATIO
S PUBLICI

DE
SIS ELECTO-
ALIBUS,

quæ dicuntur

sten-Säge/Wol-
al-Säge/

QUAM

e Divini Numinis Aura
plissime Facultatis Juridica
tri Holsatorum Academia
P R Æ S I D E

mplissimo, atque Consultissimo

ELE RACHELIO,
Naturæ & Gentium Pro-
eberrimo, Dn. & Patrono suo
ætatem Colendo,

ditorum Examini submittit
IDERICUS LINCK,
ORIMBERG.

Januarii, horis matutinis
uditorio Majori.

KILONI,
UMANI, Acad. Typogr. An. Chr. 1697.



27.

0259

